

DIE V. SEPTEMBRIS.

## B. CATHARINÆ A RACONIXIO VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**S**PES nostra Dómine, qui beátæ Catharínæ cor te ipso plenum cælestium donórum abundántia decorásti : tantaë Vírginis intercessióne, concéde ut totus nobis figá tur in corde ⁊ qui totus pro nobis fixus fuit in cruce : Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus ⁊ Qui tecum vivit.

¶ Quando prædicta Oratio dicitur ad Memoriam, et sequitur alia Memoria, terminetur sic : qui totus pro nobis fixus fuit in cruce, Christus Dóminus noster. R/. Amen.

DIE VI. SEPTEMBERIS.

## B. BERTRANDI DE GARRIGA CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui sancto Patriárchæ Domínico beátum Bertrándum, Confessórem tuum, sócium et imitatórem exímium adjunxísti : ejus nobis pio intervéntu concéde ita ejúsdem sequi vestígia ⁊ ut assequámur et præmia : Per.

DIE VII. SEPTEMBERIS.

## S. ROSÆ DE VITERBIO VIRGINIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beátam Rosam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus, ut ejus précibus et méritis a culpis ómnibus expié mur ⁊ et tuæ majestatis consórtio perfruámur ætérnō : Per.

In j. Vesperis Memoria S. Marcelli Martyris.

Oratio.

**P**RÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Marcélli Mártiris tui natalítia cólimus ⁊ intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur : Per.